ejusmodi nactus eris, dummodo sit in eo timor Dei et studium
pietatis extrude. Ad hanc rem nemo magis idoneus fuerat, quam
ille candidatus apud quem coenavimus post nocturnam errati-
onem olim Gaudavi valentes: si tamen ille miser aliqua via a
mendis abripi posset. Non quaero meum lucrum, qui mihi tam
sufficit dudum, in aliud recipere, imo etiam uberiores cupio
excolere, quos mihi Deus dedit alteros Sebastianos apud bar-
baram gentem peregrinanti. Tum autem consilio aliquos stu-
diorum meorum socium, in cujus amore et fide acquiescam. Quam
adrem dare te mihi operam non est abs tua incredibi-
li humanitate alienum. Jam tertium vale. Omnes pueri
nostri Christi beneficio nunc sunt Coctene salubriores:
ego et uxor languemus. Michaëlis silentium miror, quum sciam
me ipsi charum esse. Varhedius ex Gallia nuper ad me scri-
pserat, sed vereor ne propter hoc atrox bellum venerit
in aliquod discrimen. 22. Junij dum expecto qui perferat.
Bremae. Hic annus quum crebris morbis tum rerum omnium
caritatem nobis perquam damnosus fuit, sed laus Deo nondum
egemus, et contenti sumus.

(35)

M. Petro de Spina Antverpiae

Pax Christi.

[= Mscr. a. 7: Nr. 11]

Suavissime adolescens, quia te in paucis fidelibus discipulis amavi
semper plurimum, epistola tua plena fidei erga me et amoris
animum meum magna consolatione permulsit. Poma
aurea (ut sapiens ait) in tabulis argenteis sunt verba dicta
opportune. At sane nihil potuit opportunius aut dici mihi,
aut nunciari, quam quod tuae mihi literae pertulerunt. Nunc
autem dico, quia licet eas heri primum acceperim, tamen ante 12
dies Bremae fuerunt. Ut primum aspexi tuum nomen vehemen-
ter recreatus sum: nam postquam ex patria scripseras nihil
remedii morbo tuo afferri posse, nec secus tecum agi quam si spi-
maum bibisses, ego de tui corporis valetudine prope despe-
rans saepius animae tuae salutem flens Deo commendavi, non
ignorans quantae sint angustiae spiritus inter illa bestiae cor-
nua cum difficili morbo luctanti. Ago tibi gratias, fili Dei
pro nobis passe, quod respexeris afflictum adolescentem, eum-
que potenter vindicaveris e faucibus eorum, quibus pedes ve-
locissimi sunt ad sanguinem fundendum. Mi Petre non
de nihilo scribo, te esse potenter ereptum, qui in patria
in morbo uxoris aliquousque perspexi qualis forma sit aegro-
to papalis exhortationis. Miraris fortasse mei consilii mu-
tationem: non injuria certe, nam miror eam ego quoque.
Postquam hinc abieras, impetrata missione ab senatu,

res omnes in farinas collegimus, in vasa conclusimus, navim con-
duximus, multa inutilia aliter distraximus, domesticos, qui nollent esse
exules, suis remisimus. Quid moror? Pridie diem quem tibi dixeram,
eodem venerunt huc consul et duo Senatores Reipub. nomine im-
portune obtestantes, ne uterer concessa mihi missione, nec de-
sererem locum, in quo hactenus fide bona bonam operam scholae
dedissem. Ego multa fortiter excusare, nihil farinae, nihil lignorum,
nihil annonae in hiemem proximam comportatum, farinas com-
pactas, pueros amissos, parentibus nunciatum exitum. Illi contra
haec magna promissa, quibus ista incommoda lenirentur, quae ne-
que nunc commeminisse, quia postea nunquam comparue-
runt. Addixi me tandem usque in proximum pascha. Illud na-
tus propter doctrinae odia rursus impetravi missionem, tum animi, tum
consilii causa Lindam profectus domo [illegible], postquam in Lindam veni,
fatigatus tam esse quam itineris insolentia. Cum bonam patientiae sedis
confessus ipso die paschae sub coena tempus sensi occurri mihi quandam animi
tristitiam cum mersione sanguinis eo usque et modi terroribus, quales nunquam
expertus sum in vita. Sensi hoc malum tribus septimanis in cubili detinuit,
cum hoste animarum nostrarum noctes dies et [illegible], anxius sis-
sime luctantem, et nisi filius Dei illius tentationis insidias discussisset, atque
in mediis pavoribus aliquam subinde consolatione mentem et cor meum
erexisset, ego in Lethe jam pridem absorptus essem. Benedictus Pater
Dni nostri Jesu Christi, qui me ex inferis asseruit, recordatus miseri-
cordiae propter Filium nobis promissae. Vocavi illuc uxorem, si quid forte
praesidii afferret. Illa et solicitudine et festinatione sub vehementes [illegible] eo
ferme momento, quo ad me venit, in syncopen incidit, ac biduum totum
sui animi inops fuit. Ita ego illi ecclesiae miserabile spectaculum prae-
bui infinitis suspiriis et multis lachrymosis clamoribus Dei miseri-
cordiam implorans; incredibile est in atroci tentatione militi
veterano perexiguum spei, imo etiam fidei, animi vero nihil pror-
sus defuisse. Omnia me destituerant, nihilque fuit propius, quam ut
desperarem. Sed redemptor noster Jesus Christus injecta manu me sibi
vindicavit, et in posterum meliori esse animo jussit. Id ego beneficium
quacunque potero occasione tamdiu commemorabo, quamdiu mihi hoc corcu-
lum in angusto pectore palpitabit. Multum etiam debeo piis quibusdam
fratribus in illa ecclesia, qui talibus praeliis assueti, et panoplia scriptu-
rarum instructissimi, non parum mihi in meis angoribus solatii attu-
lerunt. Quarta demum hebdomada domum reversus sum cum con-
juge nihilo confirmatiore, quam eram ipse. Reliquum tempus ad hunc
usque diem ambo in languore consumpsimus aliquo modo praestantes
diurnas actiones: Sed tamen necdum in integrum restituti. Uxo-
ris morbum non ignoras: corpori plenitudo est [illegible], quam au-
gent corporis inertia [illegible] et diaeta neglecta, et nonnulla
exilii molestia: crebra sunt ei suspiria cum lachrymis et etiam si-
ne ulla causa putat sibi quasi saxis comprimi. Caput semper
ei inflatum est, et alvus tumet cum dolore, pedes tumescenti supra
modum et aegre ferendo corpori sufficientes, plane ut arbitrer eam
aquam intercutem facere: si valetudinem receperis, vitam eam sub
autumnum in patriam volente Deo ut se reficeret cum suis.

Mei morbi haec est ratio. Semper post coenationem de nocte
ad primam vel secundam percutitur mihi frigore ventri-
culus, et simul incenditur leniter caput et manus, pedes in-
terdum frigido, eoque vix sensibili sudore humectantur. Fer-
vere interea videtur sanguis, sed tamen non tenuiter, et
cum aliqua animi moestitudine. Ego vero hac curati-
one utor. Calidis manibus ventriculum algidum foveo, vel
eum Idulcitrum applico, vel aliquid panis camphora cum
melle confusum in stomachum transmitto. Vix per horam
unam non durat paroxysmus, et tamen sentio me paulatim
consumi. Medicus Bardenensis dicebat initium esse hecticae.
Alii medici pituitam esse, quae se in stomachum infundit
atque impedit coctionem. Ego vero arbitror melancholiam
ex scholasticis miseriis et ex multis vitae angoribus con-
tractam hos mihi dolores peperisse. Sed redeo ad usum con-
silii mutati. Ubi vidit magistratus me tenuiter rectam
domum et misere afflictam, tametsi fecerat abeundi co-
piam, tamen hortatus est ut manerem. Quod facere vel in tem-
pestate (superius) domi immorandum est: acquievi, non tam
sane quod me deberet manere, sed quod sit necesse. Video
enim et cum meo malo intelligo, quanto studiosius hinc me moliar trans-
ferre, tanto me durius a Domino repelli, et tanquam filum repererit. Quam-
obrem statutum est, etiamsi hic obruar miseriis, nullum hinc deinceps pedem
movere nisi aliqua legitima vocatione Dominus ipse designet abitum. Bre-
ve mihi tempus spero reliquum esse, non debeo tantopere laborare, quo loco pu-
trefiam. Non destituor hic rebus necessariis, desunt congressus bonorum, et docto-
rum colloquium: non desunt odia hominum et obtrectatores propter ami-
citiam aliarum Ecclesiarum. Sed eadem incommoda, quocunque me confe-
ram, consequentur etiam, aut forte minora non erunt. Maneat mihi Do-
mini benevolentia, cetera fero, deque fero. Quae scribis de motibus praesen-
tibus, longe sunt inferiora vero. Optimum factum credo, ut abdicatis ab
infelicibus controversiis pietatem in spiritu et vero animo colamus.
Nunquam ego hic contendi cum aliquo de re ulla, sed in odia incurri
propter consuetudinem cordium, quos isti execrantur. Dominus dabit his finem,
cum transtulerit nos in regnum suum. Amen. Quod ad te attinet, si
potes cum bona conscientia et non impedita vera vocatione istic
manere, hortor ut tibi uxorem jungas, et aliquam sedem tuarum
rerum ibi ponas. Expectas dum amnis defluat, at ille labitur et la-
betur in omne volubilis aevum. D. Eccium ex animo valde di-
ligo et oro Filium Dei, ut spiritu suo sancto in omnibus et consi-
liis et periculis eum gubernet, nosque omnes, quamvis imbecilles,
tamen ab humeris suis pendentes, clementer gestet. Amen.
Bremae 12. Julii 1557.

Tui amantissimus

Johannes Molang.